FULGENTISSIMO PRINCIPI,

Quatuor Regnorum, *SCOTIÆ*, *ANGLIÆ*, *GALLIÆ* & *HIBERNIÆ* Hæredi Apparenti, unico, Legittimo, tutissimo; Post *DEUM GLORIOSUM*, & Serenissimum Regem, Fratrem, *CAROLUM* Secundum, eorum omnium Spei Unicæ, soli & maximæ:

Augustæ Regiæ JACOBI, Albaniæ & Eboraci Ducis, Celsitudini Illustrissimæ.

SIcut apud Hilarium Aurelianensem *inter Orthodoxos Ecclesiæ Patres celebrem*, Novatianos Hæreticos *interrogavit olim* Pacianus *itidem Orthodoxus: Ita ex Modernis nostris* Novatianis Politicis *non minus Hæreticis* (*Dantur enim in omnibus professionibus ac Disciplinis Heretici, extra materiam Fidei ac Religionis, licet fortasse minus proprie sic dicti*) *liceat nobis pariter quærere: Quis ita docuit? Nunquid aut* Moses, *aut* Paulus, *aut ipse* Christus? *Nunquid item novatate sua quatuor horum Regnorum* Remp. tum Civilem, tum Sacram *plus hac suâ iniquissima novitate turbaturi sint quam utilitate aliquâ illi profuturi. Cum apud* Scotos, *in ejusdem sanguinis successione, supra bis mille annos invictum steterit Regnum. Et quam difficile erit iis, qui a sanioribus consiliis, sive genii, sive ingenii sui instinctu abhorrent; ubi Scandalum & bella* (*quæ Clementissimus* Pacis Deus *avertat*) *obvenerint, proterviæ & rebellioni suæ defensionem & patrocinium invenire? Cum præsertim* Inclyto apparenti Hæredi *ter* Illustrissimo *propositum sit, ad nativam suam Dignitatem & Imperium* (*cui apud* Scotos *antiquitate, in universo Terrarum Orbe nihil prorsus est comparabile*) *grandibus & Heroicis Virtutum assultibus asserendum, scandendo ascendere: Atq; impense satagere, ut quæ* Subditorum ac populi *sunt, ea* Populo *reddantur*; Quæ Regis, Regi; Quæ Dei, Deo. *Atq; his maxime* Splendoribus *censere Diadema illustrandum. Cogitareq; nunc, potius quemadmodum rite versentur jura armorum, belliq; cardines: Ita, ut foribus bello occlusis, pax stabilis, perpetua, & augusta concludatur.*

THESES LOGICÆ.

I. *SOla denominatio extrinseca nihil rei ponit in re denominata.*

App. 1. Adeoq; non incongruum tantum est, sed & repugnat, aliquid per extrinsecam solam denominationem esse *Ens reale*. 2. Accidens ergo non est *ens* per denominationem extrinsecam, a substantia, sed per intrinsecam entitatem suam. 3. Ac proinde veræ Attributionis erit Analogia *entis* ad substantiam & accidens. 4. Et idcirco Ens necessario dicet formam (seu rationem formalem) quæ intrinsece, in omnibus Analogatis invenitur, licet cum ejusmodi ordine, quo primum & absolute descendit ad *Substantiam*, tanquam principale Analogatum; ad *Accidens* vero, propter *Substantiam*, & habitudinem ad illam. 5. Ideoq; Accidens, ut tale, non tam Ens simpliciter, quam *alicujus & Entis Ens* appellari solet ab ipso Philosopho, l. 7. Metaph. c. 2. & 4. 6. Inhærentia stricte sumpta non est de Essentia Accidentis universe sumpti; sed prout abstrahit ab *esse in*, *esse ad*, *esse circa*, *&c.* 7. Adeoq; inhærentia accidentis notat, illud esse ens quod substantiam aliquo modo afficit & modificat, extra ipsius essentiam existens. 8. Atq; hoc sensu exponi & admitti poterit vulgata illa Accidentis descriptio, quâ ipsum dicitur *Ens in alio*. 9. Ac propterea uniuscujusq; accidentis essentia accipienda erit ex proprio & peculiari suo modo, quo substantiam respicit, eamq; afficit. 10. Ac proinde non subjectum, sed habitudo ad ipsum est propria accidentis differentia. 11. Quicquid alij reclament, in omnium tam Substantiarum quam Accidentium definitionibus, existimamus Genus semper respondere Materiæ; Differentiam vero Formæ. 12. Et ex accidente tantum, non conditione essentiali evenire, quod Accidens aliquando non definiatur per subjectum: Cum præsertim, aut subjectum determinatum ignoratur, ut in quibusdam accidentibus communibus; aut cum accidens non ut accidens consideratur, quod in Mathematicis præcipue contingit. 13. *Disgregativum Visus* non est Albedinis differentia essentialis, sed proprium ejus effectum, quo ex Subjecti defectu essentiam ejus explicare nitimur. 14. Et definitiones Mathematicæ non sunt tanquam Accidentium, sed tanquam Substantiarum, propter aliquam quantitatum isthic cum hisce convenientiam, in eo præsertim, quod in Mathematicis Quantitatis species subjecti dignitatem & usum cum dignitate sustineant.

II. ὁμοίως οἱ λόγοι ἀληθεῖς, ὥσπερ τὰ πράγματα. *C. 9. de Int.*

App. 1. Non a designatione aut determinatione nostra, sed ex rebus ipsis enunciationes veritatem & falsitatem habent. 2. Εἰ ἔστι λευκὸν νῦν, ἀληθὲς ἦν εἰπεῖν πρότερον, ὅτι ἔσται λευκόν *Ibid.* 3. Præteritum & Futurum quoad veritatem determinantur per Præsens: Ita ut Præteritum sit quod aliquando fuit præsens; Futurum, quod aliquando præsens erit. 4. Determinatè etiam vera erit illa enunciatio, cujus prædicatum inest aut non inest subjecto, tempore per copulam designato; falsa, contra. 5. Ergo enunciatio etiam de futuro contingente in se determinatè vera aut falsa erit. 6. Nec enim veritati contingenti repugnat esse determinatam etiam in futuro; licet eam determinationem nos rarissime præsciamus. 7. Ita ut longe differant veritas *determinata* & *necessaria*. 8. Non igitur ex his sequetur omnia futura esse ex necessitate, etiamsi omnium enunciationum veritas determinata esse dicatur. 9. Et idcirco dicimus Philosophum negasse eam necessitatem aut etiam determinationem de singularibus in futurum collatis, quam contingentibus de præterito & præsenti convenire intelligimus. 10. Ut itaq; differentia hic fiat perspicua, sic pronunciandum esse putamus. 11. Enunciationes contingentes in præsenti & præterito veritatem ab intrinseco necessariam non habent, magis quam in futuro, sed duntaxat Contingentem: Nam simpliciter tam fieri quam non fieri possunt, quæ enunciantur omnia. 12. Et quamcunq; habent necessitatem (τὸ μὲν γὰρ εἶναι τὸ ὄν, ὅταν ᾖ, ἀνάγκη) tantum est ab extrinseco, hoc est ex conditione temporis quo causa libere & contingenter agens ad effectum determinata est, aut non. 13. Hujusmodi igitur necessitas, etiam in futuro ex simili temporis proprij suppositione inveniri potest: Ut *Socrates cras disputabit* necessario vera est, si die crastino disputet. 14. Quicquid igitur sentiant alij, nos existimamus defendi posse, differentiam in hoc solo poni: Quod necessitas ex suppositione in *Præterito* ratione temporis expressa sit sine reduplicatione; in *Futuro* vero, minime. 15. Ac proinde propositiones *Contingentes* de præsenti & præterito absolute (quia sine additione temporis) licet non *simpliciter* necessariæ dicuntur; at vero de futuro, ut non simpliciter, ita nec absolute necessariæ sunt, nisi cum reduplicatione temporis futuri.

THESES ETHICÆ.

I. *ARistoteles in ipso limine Ethicon Nicomachion diserte affirmat, bonam esse illam* Boni *definitionem, quâ illud definit*, οὗ πάντα ἐφίεται.

App. 1. Rebus igitur omnibus propositum esse debet aliquod Bonum, in quod tanquam in finem ferantur. 2. Idem Ergo est, omnia Bonum appetere, & omnia ferri in finem. 3. Neq; in omnibus necesse est, præire notitiam illius quod appetitur. 4. Res Ergo insensibiles Appetitu *naturali* propendent in illud quod sibi ipsis est conveniens, sine ulla notitiâ. 5. Quæ vero tantum Sensitiva sunt, iis sufficit prævia *sensuum* cognitio. 6. At quæ ratione ducuntur, præviam *Intellectus* notitiam exposcunt, ut appetant quod sibi ipsis convenit. 7. Primum Appetitum vocant *Innatum*. 8. Secundum, *Sensitivum* (sive *concupiscibilis* sit, sive *Irascibilis.*) 9. Tertium, *rationalem*, sive *voluntatem*, quæ Hominibus propria est. 10. Malarum vero actionum & artium appetitus Metonymicus tantum est propter agentes & artifices malos, qui proprie appetere dicuntur. 11. Vel etiam noxias & malas artes negandum est esse artibus annumerandas, propter ipsum defectum boni finis, quem sibi non habent propositum. 12. Homines vero *contra conscientiam peccantes*, etiam contra *agnitam veritatem* & in *Spiritum Sanctum*, illud quidem appetunt, quod in particulari norunt esse malum; ita tamen ut ipsis sub alia ratione speciem aliquam Boni præ se ferat. 13. Quod autem malum videtur, & nullam apparet habere Boni rationem, illud *voluntas*, neq; unquam appetit, imo neq; appetere potest. 14. Neq; enim *voluntas* appetit necessario quodcunq; sub aliqua ratione Bonum videtur. 15. Cum tamen *Intellectus* non possit non præbere assensum Veritati sese ingerenti. 16. Atq; hanc differentiam inter *Intellectum* & *Voluntatem* sic explicamus. 17. Ut *Intellectus* primævi sui luminis & splendoris aliquam saltem; ita *voluntas* libertatis sive indifferentiæ suæ originalis umbram plane nullam retinet. 18. Primorum ergo parentum lapsus ille infelicissimus, ut lumen intellectuale non penitus extinxit, sed magnâ ex parte obscuravit. 19. Ita voluntatis rectitudinem prorsus depravavit. 20. Hinc Sanctus Apostolus ad *Rom. c. 7. Bonum quod vellem non prasto; malum autem quod nollem, illud perpetro.*

THESES PHYSICÆ.

I. *A Virtute formæ Substantialis derivatur efficacia omnis proprietatum ab ea forma profluentium.*

App. 1. Ergo ab ipsa forma corporum gravium profluit eorum motus deorsum. 2. Ut & a forma levium, motus ipsorum sursum. 3. In gravibus igitur & levibus ipsa gravitas & levitas non sunt principalia motuum deorsum & sursum principia. 4. Sed ipsa gravium & levium forma, a qua proprietates istæ emanant, est verum earum principium effectivum principale. 5. In iis igitur non necesse est distingui partem per se *moventem*, & partem per se *motam*. 6. Neq; absurdum est idem respectu ejusdem esse & in *actu*, & in *potentia*; sive quod idem est, idem esse simul *agens* & *patiens*. 7. Quoties scilicet forma producenda, non est producenda a causa Univoca, sed Æquivoca. 8. Et existimatur *Scotus* recte dixisse Causam Æquivocam simul esse in potentia formali & in actu Virtuali, respectu ejusdem termini. 9. Sic *aqua calefacta* non habet formaliter *frigus*, licet habeat potentiam ad recipiendam formam *frigoris*. 10. Eam tamen dicunt interea eatenus esse actu frigidam Virtualiter, quatenus interea habet virtutem productivam *frigoris* actu. 11. Licet ad *frigus* introducendum, agens nullum extrinsecum illi subveniat. 12. *Aqua* enim ab extrinseco agente calefacta vires retinet sibi a natura insitas, ut in frigus suum pristinum & connaturale sese reducat, nisi ab extrinseco impediatur. 13. Ab aquæ siquidem forma naturaliter emanat frigus satis idoneâ virtute instructum, ad *Calorem a causa extrinseca* introductum expellendum, nisi aliunde impediatur. 14. Adeoq; *gravitas & levitas* causæ tantum sunt Instrumentales Motus Gravium & Levium. 15. Qualitates enim quæ sunt alicujus formæ proprietates, non sunt instrumenta nisi formæ istius a qua emanant, tanquam causæ principalis. 16. Et principalis causa est, ipsa forma a qua emanant. 17. Quæ autem multa hic garriunt & nugantur de *generante* gravium & levium tanquam principali causâ motus eorundem, mera sunt infirmioris mentis insomnia & deliria. 18. Et quanta est disparitas inter motum lapidis e manu projecti & motum lapidis ex loco supero, remotis impedimentis, natura sua deorsum descendentis? 19. Annon enim forma corporis gravis novo corpori gravi per generationem jam communicata, eo ipso quia æqualis perfectionis est cum forma communicante, & similiter etiam substantialis; pari etiam pollebit vi et virtute novum illud corpus grave deorsum movendi, quâ ipsum ejus generans deorsum fertur. 20. Ita ut absurdissimum sit, ipsam formam deprimere in ordinem Causæ Instrumentariæ; proprietates vero ab ea fluentes erigere & elevare ad dignitatem Causæ Principalis. 21. Est enim causa principalis nobilior & potentior causa instrumentali, quæ quantamcunq; habeat virtutem, eam omnem habet a principali derivatam.

THESES METAPHYSICÆ.

I. *CElebris illa trimembris divisio Causalitatis Causæ primæ, in Creationem, Conservationem, & Concursum, hactenus contra omnes protervos subtilium atheorum insultus invicta stat & triumphat.*

App. 1. Nos in prioribus Diatribis eas attigimus; nunc plenius pro *concursu* vindicias, at paucis tamen, allaturi. 2. Concursum dari extra omnem Controversiam ponimus. 3. Ejus vero Causalitatis naturam sic explicamus. 4. Concursus vox ex ipsa natura sua significat conjunctam duorum, aut plurium simul operantium Coöperationem. 5. Hic itaq; notat specialiter DEI cum causis secundis operantibus Coöperationem. 6. Atq; duo illi opponuntur Extremi errores.

1. *Qui primum errarunt errorem, illi causis secundis plane nullam: Sed Soli* DEO, *ad causarum secundarum præsentiam, actionem & operationem omnem tribuunt: Sic* DEUM *Solum in* Sole lucere, *eundem solum in* Igne Urere *volunt.* 2. *Secundus error authori & Patrono* Durando *adscribitur, dum causam primam negaret aliter cum causis secundis concurrere, quam naturam & agendi vires iis insitas conservando.*

7. Illi igitur omnia DEO, & nihil causis secundis: Durandus, contra, DEO plane nihil, causis vero secundis omnia tribuebat. 8. Pro causarum secundarum actione primo militant tot iis non frustra concessæ virtutes; & in animalibus tantus, tam varius, tam artificiosus, & plane admirabilis Organorum apparatus: 2. Quod sicuti res creatæ sunt veræ causæ materiales & formales: ita pari jure consentaneum est, ut sint etiam causæ efficientes: 3. Quod eriperetur alioquin omnis arbitrij libertas; actiones omnes malæ essent solius DEI actiones; neq; ulla esset in homine culpa. Quæ omnia non absurda tantum, sed & blasphema ac impia sunt: 4. Cuivis, non personæ tantum, sed & rei alteri præsenti ascribi poterunt, quæcunq; eâ præsente fiunt; sic quæ *v. g.* aliquo loquente eveniunt, æque illius sermoni tanquam efficienti ascribi poterunt, quam potest *Ignis* dici causa *Ustionis* aut *Calefactionis*: 5. Deniq; ex hac sententia prorsus everteretur ipsa rerum natura; sic enim sequeretur, in iis nullum omnino esse principium actionis aut alterationis. 9. Et licet potentiori & præstantiori modo operetur is qui solus, quam qui cum alieno auxilio agit & operatur: Si tamen cum causis secundis concurrat DEUS ex summa & immensa Bonitate, & liberrima Voluntate communicandi vim & causalitatem agendi etiam rebus aliis (quo modo & consilio cum causis secundis coöperatur DEUS *Gloriosus*) neq; Potentiæ, neq; Sapientiæ suæ quicquam detrahit, sed utramq; plenius illustrat & magnificat, & actio ipsarum causarum secundarum DEO authori debetur. 10. Secundum etiam errorem præter illustria multa, quibus refellitur, Scripturæ testimonia, his rationibus validissimis convellimus: 1. Quod virtutes causandi in rebus creatis a DEO pendeant, non solum ut sunt *entia*, sed etiam ut sunt *activæ*. 2. Cum omne ens per participationem entitatem suam habeat immediate a *Primo ente* (sive ab ente per se) tum effectum causæ per se, tum etiam actio illa quâ effectum producitur, immediate ab eo pendent; utrumq; enim est Ens. 3. Creaturis tribuenda est summa & maxima dependentia a DEO, quæ nullam includit repugnantiam, & quæ summam in Creatore perfectionem arguit. Adeoq; DEUM cum causis secundis in suis Operationibus concurrere necessario statuendum est: Imo & illius, & harum unam, & eandem plane esse actionem.

THESES ASTRONOMICÆ.

I. *EX computo* Juliano *nunc fere communiter recepto Annus Solaris continet dies* 365. *& horas*, 6. *Astronomorum tamen accuratiore, dies* 365. *horas tantum*, 5. ′. 44. ″. 16.

App. 1. Ex constitutione hac communi, Annus major est vero anno solari, per ′. 10. ″, 44. 2. Quare necesse est Æquinoctia & Solstitia sedes suas mutare versus initia mensium, singulis annis ad ′. 10. & ″. 44. unius horæ. 3. Quod exiguum est in uno anno, multorum successione poterit insigniter augeri: Ita ut a tempore *Julij Cæsaris* ad nos anticipati sint dies circiter, 12. Imo si mundus tamdiu durare posset, Dies Æquinoctij Verni in diem Autumnalis incideret, & contra 4. Aut igitur aliter mensura Anni instituenda est, aut *Cæsaris* nonnihil corrigenda, ut tantus error evitetur, & nulla contingat Solstitiorum & Æquinoctiorum anticipatio. 5. Dicimus itaq; si Æquinoctium Vernum restitueretur ad 11. Martij, ut semper elapsis annis 136. & Februario nullus dies adjiciatur Intercalaris; sed qui deberet esse annus Bissextilis, currat ut communis & civilis; Ita tamen ut quarto rursus post illum anno, nempe 140. rursus Intercalaris numeretur, & ita successive ad alios usq; annos 136. nulla unquam notabilis continget variatio. 6. Atq; hunc calculi errorem cum dicto remedio, primus, quod sciam, notavit clarissimus noster, & acutissimus *Jac. Reidus*, in Thesibus suis anni, 1610. Eundem, 20. circiter annis post, sed nullo proposito remedio notavit, *Rob. Hues* in suo illo de Globis tractatu utilissimo.

Theses hasce suas Philosophicas Athenæi Regis JACOBI 6ti τοῦ μακαρίτου (*qui & illud, nunc ante annos* 100. *Regiâ in amplissimam hanc Regni Metropolin gratiâ & beneficentiâ fundavit*) Edinburgensis *Alumni, hac vice cum laurea Magisteriali* [illegible] *sidio* JACOBI PILANI, *amittendi, in perpetuæ humillimæ venerationis & Observantiæ tesseram dicant consecrantque Candidati.*

Alexander Pavonius.	*Andreas Humius.*	*Gulielmus Shielus.*	*Jacobus Justicius.*	*Ioannes Fairholmius.*	*Ioannes Pavonius.*	*Martinus Martinius.*	*Robertus* [illegible]
Alexander Junius.	*Archibaldus Combus.*	*Gulielmus Somervellius*	*Jacobus Rennius.*	*Ioannes Foordus.*	*Ioannes Simmius.*	*Petrus Meghius.*	*Robertus* [illegible]
Andreas Brunus.	*David Dalrymplius.*	*Henricus Hamiltonus.*	*Jacobus Russellus.*	*Ioannes Hutchisonus.*	*Ioannes Somervellius.*	*Robertus Andersonus.*	*Thomas* [illegible]
Andreas Duncansonus.	*Gulielmus Haliburtonus.*	*Jacobus Fisherus.*	*Jacobus Wattus.*	*Ioannes Inglisius.*	*Laurentius Dundassius.*	*Robertus Chapmannus.*	
				Ioannes Kinneir.			

EDINBURGI, Excudebat Hæres *Andreæ Anderson*, Typographus Regius, *Anno* [illegible] M. DC. LXXXI.